



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXIX. Redemptio generis humani quàm carò steterit
Servatori nostro cucifixo Jesu?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)


crucis: *Quinque porticus significant quinque Vulnera &c.* O felix ille, qui ad hanc gratiarum piscinam confugit! hoc est: ad crucifixum JESUM. Si hoc olim erat in umbra, & figura, quid nunc in veritate?

7. Audiamus Historiam memorandam. Ducebantur in Urbe Senensi in Italia duo sceleratissimi latrones ad mortem, quibus impositis ferro discerpebantur membra. Nihil hic poterat fessarius, dum loco seriae poenitentiae latrones illi nil nisi blasphemias contra DEUM & Sanctos jaectabant voces. Audiit hoc S. Catharina Senensis, prospicit per fenestram, & ingentem daemorum catervam flagitiosos illos miserimè exagitantium intuetur. Quid hic illa Beata? Illicò ad Amorem suum crucifixum, ut illius exoraret clementiam, se confert, quibus desperatis latronibus ferventissimis precibus suis hanc impetravit gratiam, ut, cum perventum esset ad urbis portam, ipse crucifixus Salvator plenus vulneribus, ac cruentatus sese ipsis redderet conspicuum, quem non viderunt tantum, sed & audierunt ad seriam poenitentiam invitantem. O immensam crucifixi JESU bonitatem! Ambo latrones nunc subito conversi, inclamarunt Sacerdotem, cui in animo contrito ac humiliato omnia sua confitebantur peccata, & sic exantlato patienter ultimo supplicio, ad meliorem vitam transierunt.

Sicut in Vita S. Cathar. Sen. 29. April.

Proinde rectè Hugo à S. Victore: *Nemo de Dei pietate dissidat: quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria.* Hoc considerans abi in pace bene consolatus.

Hugo de S. Vi ct. l. de anima c. 3.



CONSIDERATIO LXXXIX.

Redemptio generis humani quàm carò steterit Servatori nostro Crucifixo JESU?

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Psal. 129. 7.

1.

Intra sex dies DEUS T. O. M. verbo unico *Fiat* creavit omnia, sed ad recreationem hominis peccatoris triginta & plures impendit annos: *Complexitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Sed non requievit DEUS

Gen. 2. 2.

T t 3

DEus & Homo Christus per tot annorum tractus, donec animam meam peccatricem recrearet, & per Sanguinem suum pretiosissimum ab interitu redimeret; unde rectè doctissimus, juxta ac pientissimus

Idiota de an.
div. c. 10.

Idiota: *Urget ratio, & justitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi, quia me fecisti, ad magis amandum sum obligatus, quia me refecisti: nec tam facile me refecisti, quam fecisti: nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura; nec tantum dura, sed indigna. O DEus bone! quanto labore ac dolore stetit animæ meæ salus!*

Gen. 6. 14.

2. *Fac tibi arcam*, dicebat quondam DEus ad Noë, in qua salvetur genus humanum: *Arca hæc*, subintrat hic Hugo Cardinalis, in sensu allegorico, *Christi humanitas est, quæ omnes fluctus persecutionum sustinuit*: per hanc enim salutiferam arcam ab æterno diluvio salvati, & liberati sumus; Proinde humiliter & gratâ mente sæpius cum Ecclesia Dei dicamus: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.*

Pfal. 76. 21.

Multo labore stetit redemptio populi Israelitici ex Ægypto, quæ per manum Moysis & Aäronis facta est. Idem redemptio ex captivitate Babylonica. Plus stetit Christo redemptio generis humani ex servitute diabolica, quod summum beneficium nec ullus mortalium satis capere, nec sufficienter poterit prædicare, quia per illum ex inferni barathro liberati, & in libertatem filiorum Dei asserti sumus: *Quibus igitur oculis, ait Diez, sanctissima illa Christi vulnera respicient, è quibus tanta illis bona profluxerunt?* Verbo: debemus omnia SS. Vulneribus Christi JESU.

Diez in Dom.
Pass.

Jacobus Sali-
anus de Ti-
more Dei. l. 5
c. 21.

3. Sed ut hanc veritatem magis capiamus, perelegantem similitudinem, quam Salianus in medium producit, audiamus; imò non audiamus tantum, sed & ferreo stylo nostris inscribamus pectoribus. Peregrinus quidam ad regni alicujus pervenit metropolim, ubi cum manè pararet egressum, nuntiatur ei omnes civitatis portas esse obleratas, omnibus compitis ac plateis geminata præsidia. Cùmque omnes inquirunt attoniti, quid dies illa parturiat, apparet majori in platea excitatum theatrum, pullo peristromate undique convestitum. Populus magistratum rogat, quid sibi velit hic lugubris apparatus? ille populum amandat ad regiam; ubi rursus interrogat, an quo supplicio vir aliquis illustris afficiendus sit, ut hæc nova rerum facies significat? Responsum accipiunt Regem eo die capitale ac planè horrendum exercere judicium: de quo? inquirunt, illi cum alto gemitu, de unigenito filio suo. Attoniti cives, circumspicere sese, atque obmutescere, moxque receptâ voce: Oportet igitur regium hunc adolescentem attentati parricidii reum esse, nihilque ullo in facinore intentatum reliquisse. Tan-
tum

tum abest, ait palatina custodia: Princeps est observantiâ in parentem, benignitate in subditos, pietate in Superos, innocentiam in omnes singulari: Princeps, quo neminem Dei donis cumulatiorem sol videt in terris. Hic cives: necesse est ergo parentem illum omni barbarie ac feritate diriorem. Imò contra, inquit præsidium, nemo clementior, nemo ad misericordiam adversus delinquentes propensior.

Quæ ergo causa est tam horrendæ, tam luctuosæ, tam sæculis omnibus inauditæ tragœdiæ? Ecquid tandem potuit talem Patrem adducere ad mortem tali filio decernendam? Et ad capitale supplicium carnificis manu, unigenito filio statuendum? Nimirum, ajunt, regius hic juvenis, quæ est in omnes humanitate & clementiam, unum de fontibus emisit ex carcere, tanto cum parentis dolore ac stomacho, ut ejus loco velit filium unigenitum, alioquin innocentissimum fractis cervicibus pœnam luere capitalem.

Adeamus nunc animo Jerosolymam, sub illum ipsum diem, qui Christum in cruce patientem vidit, & luxit. Civitas in armis est universa, populus stupet attonitus, tota terræ facies atrâ ecclipsi divinitus obnubitur, astra lumen mundo negant, cœlum gemit, lapides dissiliunt, sepulchra sponte panduntur, omnia elementa turbantur, funestum crucis theatrum in monte Calvario erectum est; cui tandem fini? dicent Angeli ejus: Rex cœli & terræ, ille *Pater misericordiarum, & DEus totius consolationis* hodie cruci suffigit unigenitum filium suum. At quem filium, DEus immortalis, quem filium? Exemplar innocentiam & sanctitatis, *agnum sine macula*, gloriam humani generis, Electorum omnium caput. Et quod tandem hujus filii scelus? Adamum mortis reum eduxit è carcere: Judex vicariam ejus mortem petit, & innocentem luere, quod admisit nocens. *O celi obstupescite super hoc, & porta ejus desolamini vehementer!* Ille pro me miserrimo & ingratisimo peccatore pendet in crucis patibulo, qui dignus sum inferni barathro: *O celi obstupescite: hoc pro me JESUS meus! Ah fluite lacrymæ!*

4. Sed consolatur me valde, quod Vates Jessæus aureâ suâ pennâ mortalitati humanæ reliquit: *Quoniam apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Reverà copiosa Christi redemptio fuit, dum non auro, ait S. Hieronymus, redemit nos, sed sanguine suo: non paucos homines, sed universum mundum: non ad paucos annos, sed pro tota æternitate: non ad exiguum emolumentum, sed ad immensum gloriæ pondus. *Copiosa redemptio* ob vehementiam amoris, dum potuisset unicâ Sanguinis stillâ nos ab interitu redimere, dedit in cruce ultimam; Sic quod suffecisset redemptioni, non suffecit amor: *Copiosa redemptio* propter infinitatem pretii pro nobis dati: *Empti estis pretio magno;*

Et

Ephes. 1. 7.

Et in alio loco idem Apostolus: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, quæ superabundavit in nobis.* Ex quibus facillè concludes, anime mi, quòd cum omni fiducia ad tam liberalem Redemptorem debeas accedere, quia ipse de vocat: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.* Et tu adhuc tergiversaris?

Isa. 44. 22.

5. Pulcherrimus est iste psalmus, quem diebus Dominicis Ecclesia cantare solet in Vesperis: *In exitu Israeli de Ægypto, in quo agitur de Redemptione Hebraei populi ex durissima servitute Ægyptica & de transitu maris rubri, de quo Psaltes: Mare vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrosum.* Sed quæres, quare dicitur mare rubrum fugisse, nam statim atque Moyses manum suam cum virga tot miraculorum operatrice super mare extendit, illudque percussit, Angelus divisit mare, ita ut ex utraque parte instar muri starent aquæ, & latissima via populo Dei aperiretur, per quod mare sicco pede pertransierunt.

Psalm. 113. 1.

R. Vidit Hebræos in littore stantes, & propter exercitum Pharaonis magis magisque imminet, summo percussus tremore, dum alium evadendi modum non habebat, nisi maris transitum. Vidit & Moysen prodigiosam virgâ suâ armatum cum populi sui principibus ad se accedentem, & virgam ostendentem. Hic attende, omnia hæc facta sunt illis in figura: Redemptio Israel de Ægypto præfiguravit nostram redemptionem ex servitute diabolica per Christum factam: Virga Moysis crucem Dominicam & mare rubrum ejus cruentam passionem. Jam non miror amplius, quod David dicat: *Mare vidit, & fugit ad conspectum nimirum Virgæ Mosaicæ, per quam & nobis Christus viam ad terram promissionis aperuit, hoc est per crucem.*

Thren. 2. 13.

6. Audiamus quid ad nostrum intentum dicat Jeremias Propheta, qui non obscure totam Christi passionem prævidit, cujus & ipse typus fuit. Cùm ergo impensius consideraret crucifixi Jesu dolores, illos amarissimo mari assimilare non dubitavit: *Magna est, velut mare, contritio tua.* Et cur velut mare? Adverte: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: Omnes fluctus iniquitatum nostrarum intraverunt in sacratissimum cor Jesu & illud non redundavit impatientiâ: *Atrocissima in crucifixi, ait Cornelius, magna velut mare fuit contritio tua ô Christe Jesu!* Et hæc omnia propter me, ac propter te, ô mi Lector! Quid ergo huic summo nostro possumus retribuere Benefactori?

Judic. 8. 22.

Viri Israelitæ fuerunt grati Gedeoni redemptori suo, qui eos de manu Madian liberavit, unde dixerunt ad eum: *Dominare nostris tu, quia liberasti nos de manu Madian.* O Jesu, ô Amor Crucifixæ, tu liberasti nos de manu Madian, de captivitate diaboli, de inferno, de æterna damnatione: *Dominare nostris tu.* Servi tui erimus hic in vita & per omnem æternitatem. Vivat ergo in nobis Jesus Crucifixus.

CON-